

salutabit vir incomparabilis animum erexit meum ; ejus enim ope (ille enim Vice Røya s. mareschallus ordinum fuit) emicui, Professionem Botanicam et Mineralogicam Stockholmiæ obtinui annuo cum reditu ; Praxis mihi mox contigit summa medica Stockholmiæ ; mox et medicus ordinarius classis nauticæ creatus sum ; uxorem hisce diebus duxi diu desideratissimam ditem, si inter nos loqui deceat, ita ut nunc demum contentus quietam et contentam dego vitam.*

Linnaeus often doubted if he should ever get forward in this kingdom. At every place abroad he had been honored as Princeps Botanicorum, and in his own country he was looked upon as a Klim, arrived from the subterranean world : had Linnaeus not been in love, he would certainly have left Sweden, and gone abroad again." Hæc e Diario Linnæi, ubi vide quo modo dein in tabernis, unde clientelam sibi pararet, versari coactus fuerit.

* Acta eadem, prætereaque anteacta, Linnaeus, in epistolâ ad Hallerum, paulo fusius, paucis tamen cum solitâ phytographi characteres essentialis exponentis concisione, et res adversas secundasque, labores, amores longâ expectatione probatos, sponsalia, nuptias, semibotanico semipoetico enarrat sermone, quem hic transcribere juvat : "*Erat ibi [Fahlunæ in Dalecarliâ] medicus quem divitem dicere non erubescerat vulgus ; imo erat inter omnes in istâ pauperrimâ provinciâ ditissimus. . . . Adii domum ejus, non semel gratis ipsi hospes. Filiam habuit quam ambiebat Liber quidam Baro frustra. Vidi, obstupui, præcordia intima sensi attonitus noris intumuisse curis. Amavi ; illa tandem victa blanditiis, votis, &c., &c., et me amabat, promisit, dixit : fiat ! Patrem alloqui erubesceram pauperrimus ; dixi tamen. Voluit, — et noluit. Me amabat pater, non mea fata. Dixit, intacta permanebit per tres annos, dicam tum demum. Compositis rebus, ad iter necessario paratis, exivi patriam, 36 nummis aureis dives. Promotionem medicam mox obtinui ; redire magno meo cum commodo non potui ; permansi in Belgio, ut noristi. Interim amicus meus Summus cl. B..... litteras amicæ meæ ad me per tabellarios trans mittebat ; sancte præstitit. Ultimo anno, quo apud Van Royen vixi (quod erat quarto anno ; non enim socer plures quam tres concessit annos) et hoc quidem metu sponsæ, sibi proximum judicavit B..... esse ; mea enim recommendatione factus fuit Professor ; mox me non reversurum in patriam demonstrabat ; sponsam meam ambiebat, fere obtinuit, ni intervenisset alius fallaciam qui prodidit ; punitus et ipse fuit mille fati adversis. Redii tandem, sed pauper. Puella me amabat, non illum. Sedem fixi Holmiæ, irrisus ab omnibus ob meam Botanicen ; quot insomnes noctes et laboriosas horas transegerim, nullus dixit non erat, qui vel servum mihi curandum obtulit. Transegi vitam quocumque possem modo, tamen honeste ; incepti praxin exercere valde lente ; sed brevi fata cessabant adversa, et post diuturnas nebulas Phæbus. Emersi, ad Primates accersitus ; cessere omnia secunda, nullus æger sanabatur me non presente. . . . Interdixi floram mox primarius medicus classis navalis constitutus fui ; conventus civium mox me Botanicum regium, publice quo docerem Botanicen in regiâ sede Stockholmiæ, dixere ; stipendio annuo auxerunt. Incepti iterum amare plantas. Sponsam adii tum meam quinquennem, tam dignus intravi thalamum sponsæ et uxoris."*

Erunt fortasse qui curiose inquirent quisnam amicus iste malefidus fuerit, cujus nomen in omnibus operibus suppetentibus tantum ad litteram initialem B. redactum legatur. Ego Browallium suspicor, quippe qui Fahluni vixerit cum Mosteis familiaris, ibi amicitiam cum Linnæo iniverit consiliorum ejus particeps et sæpius auctor, unde anno 1738 discessit factus Aboæ professor, et a Linnæo alienatus, ut testantur generis *Browallia*